

exemplaria ipsius cum Bulla *Aeternus ille* revocata ac suppressa fuerint. Quo ergo spectabat appellatio Sixti V ad verba Christi promittentia infallibilitatem Petro pro hoc opere emendationis a se peracto, si in hoc ipso opere haud bene gessisse dicendus est?

Antequam respondeamus advertimus a) ex verbis Christi certe confici 1<sup>o</sup> penes Rom. Pontificem auctoritatem esse instituendae emendationis Vulgatae, ultimumque iudicium de ipsa ferendi: 2<sup>o</sup> emendationem Vulgatae vi huius auctoritatis editam pro universa Ecclesia immunem fore ab omni errore et cum originali concordare quoad doctrinam fidei et morum. Advertimus b) emendationem propositam a Sixto V quoad doctrinam fidei et morum nullum continuisse errorem, nec dissensisse in hac re ab originali. Advertimus c) ipsum Sixtum V non dedisse eam emendationem tanquam perfectam, imo significasse quod adhuc perfici poterat, cum dixit emendam esse *prout optime fieri potuit*, quod in ipsa quoque editione Clementis VIII reperimus tandem significatum. His positis patet responsio. Sixtus V enim ad verba Christi appellavit ut suam auctoritatem in hoc negotio assereret, certioresque fideles faceret nullum errorem aut dissensum ab originali in doctrina fidei et morum in ea haberi, *conc.* ut probaret omnibus numeris esse emendationem absolutam, aut perfici adhuc non posse, *neg.*

X. Quidam decessor Innocentii III (quem quidam putant esse Caelestinum III, alii Urbanum III) censuisse dicitur quod si coniux haereticus evadat, liceat alteri catholico ad alias nuptias transire, quemadmodum converso e gentilitate ad fidem licet alias inire nuptias, si pars infidelis nolit sine iniuria creatoris cohabitare. Huius rei testis est ipse Innocentius III (c. Quanto de Divortii), qui aliter quaestionem solvit, et quidem recte. Iam vero decisio illa prior olim edita exstabat inter decretales, quae universae Ecclesiae proponuntur; ex quo efficitur saltem quod auctoritate Gregorii IX fuerit universae Ecclesiae proposita ut norma in rebus fidei et morum aliqua falsa doctrina (Dr. Langen op. cit. P. IV. pag. 92). Respondeo negando consequentiam: nam eo ipso quod inter decretales utraque responsio et Innocentii III et illius alterius Pontificis inserta fuit, evidens est quod vel nihil definire voluit Gregorius IX, vel quod prior responsio solum ut documentum historicum ibi posita fuit ut responsio Innocentii intelligeretur. Responsio vero Caelestini, vel alterius, ad privatum hominem, characteres non habebat certe decreti ex cathedra; licebatque Pontifici in privatis his responsis sequi aliquam opinionem quae ipsi probabilis videretur.

XI. Quod pertinet ad Galilaei causam, haec habe: a) anno 1616 sub Paulo V conditum est a Congregatione Indicis decretum huius-

modi post prohibitionem aliorum librorum: « et quia etiam ad notitiam praefatae Sanctae Congregationis pervenit, falsam illam doctrinam Pythagoricorum, divinaeque Scripturae prorsus adversantem de mobilitate Terrae et immobilitate Solis, quam Nicolaus Copernicus De revolutionibus orbium caelestium, et Didacus a Stunica in Iob etiam docent, iam divulgari et a multis recipi, sicut videre est in quadam epistola impressa cuiusdam P. Carmelitae, cuius titulus: lettera del Rev. Padre Maestro Paolo Antonio Foscarini Carmelitano sull'opinione de Pittagorici etc. in qua dictus Pater ostendere conatur praefatam doctrinam de immobilitate Solis in centro mundi, et mobilitate terrae consonam esse veritati, et non adversari Scripturae. Ideo ne ulterius huiusmodi opinio in perniciem catholicae veritatis serperet, censuit dictum Nicolaum Copernicum de revolutionibus orbium, et Didacum a Stunica in Iob suspendendos esse donec corrigantur: librum vero P. Pauli Foscarini carmelitae omnino prohibendum; atque omnes libros pariter idem docentes prohibendos, prout praesenti decreto omnes respective prohibet, damnat atque suspendit. In quorum fidem praesens decretum manu et sigillo illustrissimi et reverendissimi Domini Cardinalis Sanctae Ecclesiae Episcopi Albanensis signatum fuit die 5 Martii 1616. Frater Franciscus Magdalenus Capiferreus Ord. Praed. Secretarius ». Quid vero tunc Sacra Inquisitio egerit cum Galilaeo, qui doctrinam Copernici tuebatur, refertur in decreto eiusdem Congregationis edito die 2 Iulii 1633 sub Urbano VIII, quod italice scriptum fuit: « Essendo che tu Galileo figliuolo del q. Vincenzo Galilei Fiorentino dell'età tua di anni 70 fosti denunciato del 1615 in questo S. Ufficio, che tenessi come vera la falsa dottrina da molti insegnata che il Sole sia centro del mondo ed immobile, e che la terra si mova anco di moto diurno, che avevi alcuni discepoli, a quali insegnavi la medesima dottrina, che circa l'istessa cosa tenevi corrispondenza con alcuni matematici di Germania, che tu avevi dato alle stampe alcune lettere intitolate delle macchie solari, nelle quali spiegavi l'istessa dottrina come vera, et che alle obbiezioni che alle volte ti venivano fatte, tolte dalla Sacra Scrittura, rispondevi glossando detta Scrittura conforme al tuo senso. E successivamente fu presentata copia d'una scrittura sotto forma di lettera; quale si diceva essere stata scritta da te ad un tale già tuo discepolo, ed in essa seguendo la posizione di Copernico, si contengono varie proposizioni contro il vero senso ed autorità della Sacra Scrittura. Volendo perciò questo Tribunale provvedere al disordine ed al danno, che di qui proveniva, et andava crescendo con pregiudizio della S. Fede; d'ordine di N. Signore e degli Emin. Signori Cardinali di questa suprema ed universale In-

quisizione, furono dalli qualificatori teologi qualificate le due proposizioni della stabilità del Sole, e del moto della terra: cioè Che il sole sia centro del mondo, et immobile di moto locale, è propositione assurda e falsa in filosofia, e formalmente eretica, per essere espressamente contraria alla Sacra Scrittura. Che la terra non sia centro del mondo, nè immobile, ma che si mova eziandio di moto diurno, è parimente assurda e falsa nella filosofia, e considerata in theologia, ad minus erronea in fide. Ma volendosi per allora proceder teco con benignità fu decretato nella S. Congregazione tenuta avanti Nostro Signore ai 25 Febbraio 1616 che l'Eminentissimo S. Cardinale Bellarmino ti ordinasse che tu dovessi onninamente lasciare la detta dottrina falsa, e ricusando tu ciò di fare, che dal Commissario del S. Ufficio ti dovesse esser fatto precetto di lasciar la detta dottrina; e che non potessi insegnarla ad altri, nè difenderla, nè trattarne; al qual precetto non acquietandoti, dovessi essere carcerato: et in esecuzione dell'istesso decreto, il giorno seguente nel Palazzo, et alla presenza del suddetto Emin. Signor Cardinale Bellarmino dopo esser stato dall'istesso Signor Cardinale benignamente avvisato et ammonito, ti fu dal P. Commissario del S. Ufficio di quel tempo fatto precetto, con notaro e testimoni, che onninamente dovessi lasciare la detta falsa opinione, e che nell'avvenire tu non la potessi nè difendere, nè insegnare in qual si voglia modo, nè in voce nè in scritto: et avendo tu promesso d'ubbidire fosti licenziato.

Et acciocchè si togliesse affatto così pernicioso dottrina, e non andasse più oltre serpendo in grave pregiudizio della cattolica verità, uscì decreto dalla S. Congregazione dell'Indice, col quale furono proibiti i libri che trattano di tal dottrina, et essa dichiarata falsa et onninamente contraria alla Sacra Scrittura».

At quia Galilaeus post eam monitionem edidit typis librum, cui titulus *Dialogo di Galileo Galilei delli due massimi sistemi del mondo Tolemaico e Copernicano*, in quo doctrinam defendebat quam iussus fuerat non docere, licet quadam circuitione verborum significare contenderet se illam ut probabilem tueri et indecisam relinquere; iussu Cardinalium Inquisitorum vocatus fuit ad S. Officium: a quo die 2 Iulii 1633 post superius recitata, haec sententia lata fuit: « Invocato dunque il SS. Nome di N. S. G. C. e della sua gloriosissima Madre sempre Vergine Maria, per questa nostra definitiva sentenza, la quale sedendo pro tribunali di consiglio e parere de reverendi maestri di sacra teologia e dottori dell'una e l'altra legge nostri consultori, proferiamo in questi scritti, nella causa e cause vertenti avanti di noi tra il Magnifico Carlo Sinceri dell'una e l'altra legge dottore, procuratore fiscale di questo S. Ufficio per una parte, e te

Galileo Galilei reo, qui presente processato come sopra dall'altra. Diciamo, pronunciamo, sentenziamo, dichiariamo, che tu Galileo suddetto per le cose dedotte in processo, e da te confessate come sopra, ti sei reso a questo S. Ufficio veementemente sospetto di eresia, cioè d'aver creduto e tenuto dottrina falsa e contraria alle Sacre e divine Scritture, che il Sole sia centro della terra, e che non si mova da oriente ad occidente, e che la terra si mova e non sia centro del mondo: e che possa tenere e difendere per probabile un'opinione dopo d'essere stata dichiarata difinita per contraria alla S. Scrittura: e consequentemente sei incorso in tutte le censure e pene da Sacri Canoni ed altre costituzioni generali e particolari contro simili delinquenti imposte e promulgate, dalle quali siamo contenti che sii assoluto, purchè prima con cuor sincero, et fede non finta avanti di noi abiuri, maledichi, et detesti li suddetti errori et eresie, e qualunque altro errore et eresia contraria alla cattolica, et apostolica Romana Chiesa, nel modo che da noi ti sarà dato.

Et acciocchè questo tuo grave e pernicioso errore, e trasgressione non resti del tutto impunito, e sii più cauto nell'avvenire, et esempio agli altri che s'astenghino da simili delitti. Ordiniamo che per pubblico editto sia proibito il libro de Dialoghi di Galileo Galilei». Subduntur quaedam poenae: et ita absolvitur: *Ita pronunciamus nos Cardinales infrascripti: sequuntur nomina Cardinalium, Galilaeus autem abiuravit supradictos errores et haereses. Forma vero abiurationis fuit ut iurando profiteretur se credere quidquid credit Romana Ecclesia et sponderet se abiecturum eam falsam opinionem, abiurans et maledicens et detestans supradictos errores et haereses (Exstat utrumque decretum in opere Memorie e lettere inedite etc. di Galileo Galilei per Ioannembaptistam Venturi. 1821 parte 1<sup>a</sup> p. 268: p. 2. p. 170).*

Iam vero correctio facienda in opere Copernici praescripta a Congregatione Indicis in suo decreto eo redibat, si Galilaeo tunc Romae commoranti, et cui maxime id nosse intererat, credimus, ut ea pars praefationis (dedicaverat Copernicus opus suum Paulo III) deleteretur, in qua ait: « non moror illos qui ausi fuerint institutum hoc meum reprehendere ac insectari propter aliquem locum Scripturae male ad suum propositum detortum; adeo ut etiam illorum iudicium tanquam temerarium contemnam»; ac praeterea deleteretur appellatio *Sideris* facta Telluri (ib. p. I. p. 269. coll. 227). Romana tandem Sedes expunxit ab Indice librorum prohibitorum Opus Nicolai Copernici, et Dialogos Galilaei: eademque postea ne dum permisit eam doctrinam publice doceri; sed et eos qui illam excolerent, maxime fovit, ut videre est in hac ipsa Urbe Roma.

His positis I) advertere licet, a) primam partem doctrinae, quae tunc ferebatur, Solem nempe immobilem esse et centrum esse mundi, esse reapse falsam, et physice quoque absurdam: b) sententiam modernam non esse certam de fide. Quare si quis adhuc peripateticus esset, qui ex amore vetustatis sententiam Tolomaei et Aristotelis tueri vellet, respondere ei liceret: nullum esse vitium in iis decretis, sed errare philosophos recentiores. Difficultas tamen foret: cur nempe postea tolerarunt Pontifices recentiorum doctrinam, eiusque favent auctoribus, expunctis quoque ab Indice libris prius damnatis? Possent autem huiusmodi homines respondere, quod cum res nondum sit definita, permitti aut tolerari potest sententia contraria. Fateri ergo et ipsi debent nullam hactenus hac super re exstare fidei definitionem: non enim impune toleratur doctrina publice tradita, quae sit opposita veritati definitae.

Itaque melius II) respondemus nullam in iis decretis exstare definitionem Romani Pontificis loquentis ex Cathedra: quod quidem multipliciter probatur, a) a posteriori; in hypothesi etiam adversariorum, quod Romanus Pontifex ex se solo non sit infallibilis. Definitionem Romani Pontificis ex cathedra secutus est semper consensus et obedientia omnium Episcoporum, omniumque fidelium subiectio: porro si quod erat decretum quod nulla difficultate impediri poterat ne obedientiam fidei ab omnibus consequeretur, istud erat; agebatur enim de re omnibus fere tunc probata: si ergo fuisset definitio Pontificis, fuisset quoque sententia ab universa Ecclesia approbata, obtinissetque locum dogmatum definitorum doctrina de motu solis et stabilitate telluris. At si ita res se habuit, qui fieri potuit ut deinceps in Ecclesia doctrina opposita invalesceret, et scientibus omnibus Episcopis defenderetur? Haec prorsus componi nequeunt. Non ergo existit definitio ex cathedra Romana. Probatur b) ex ipsa natura definitionis ex cathedra. Nam ut sit definitio ex cathedra Romani Pontificis, oportet ut sit sententia ab ipso Romano Pontifice prolata vel probata, suoque nomine proposita fidelibus credenda. Etenim definitio huiusmodi est actus proprius Primatus, et infallibilitas, quae ei competit, est praerogativa propria Primatus; sicut autem Pontifex nequit alteri communicare plenitudinem suae potestatis seu Primatum, ita nec potest communicare supremum magisterium, dotemque infallibilitatis cum eo connexam: quare ut definitio infallibilis Romanae Cathedrae habeatur, necesse est ut ipse Pontifex doceat. Potest quidem suam potestatem Romanus Pontifex exercere per alios, et quatenus ipse probat quod illi statuunt, habenda sunt decreta ut decreta Romani Pontificis: verum cum de aliis decretis agitur, satis esse potest quod ipse vel in genere probet quod alii suo nomine

facturi sunt, dummodo res non sit evidenter mala, auctoritate decernendi collata; quia obligari possunt subditi ad obediendum in iis quae non sunt certe mala, etsi in se sint forte mala; at cum agitur de decretis fidei cum nequeant fideles obligari ad credendum fide divina id quod potest esse falsum, nequit Romanus Pontifex potestatem aliis facere condendi decreta fidei quae fideles obligent, nisi ipse in specie probet quod definitur, suamque approbationem manifestet fidelibus. Hinc aliud est quod Pontifex velit ut Congregationes a se institutae fungantur suo munere, et potestatem eam exerceant quam ipsis participavit, aliud est quod ipse ex cathedra docens, illud idem affirmet quod illae docent. Potest enim Romanus Pontifex partem suae potestatis aliis delegare et velle ut eis a cunctis pareatur, quin tamen sibi adimat ius innatum ultimam definitivam sententiam proferendi, et corrigendi errores qui vitio hominum in sententiam delegatorum obrepserint. Ut ergo definitio ex cathedra Romana habeatur, loqui debet ille qui in cathedra sedet, qui est solus Episcopus Romanus. Atqui auctor eorum decretorum nullus est Romanus Pontifex, aut Paulus V, aut Urbanus VIII; soli Cardinales decretum condentes apparent: abstinerunt ergo Pontifices ab ultima definitiva sententia ferenda: ergo.

Et sane c) ex historia constat ea decreta fuisse condita tantum ex oeconomica ratione, *ad cautelam*. Nimirum prima vice cautum est ne indiscriminatim fidelibus Scripturae interpretatio permitteretur; huiusmodi enim abusus et malus in se est, et propter haeresim Protestantium tunc vigentium maxime erat periculosus: cautumque est ne affirmaretur tanquam certa doctrina quae poterat esse, et communiter tunc videbatur, adversa Scripturis, neque affirmaretur sententiam eam esse conformem Scripturis. Ut huiusmodi scandala amoverentur, non imprudenter arbitrata est Romana Sedes opus esse ut silentium imponeretur iis qui iam abusi erant ea licentia, vel timeri poterat ne abuterentur. Id unum voluisse Paulum V ex eo constat quod quamvis ipse iusserit qualificatores qualificare propositiones eas duas, tamen non dicitur ipse probasse eas censuras: imo significatur oppositum, cum sensu adversativo dicitur quod voluerit uti benignitate: satisque ipsi fuit praeceptum fieri Galilaeo ne amplius eam doctrinam doceret; liberque Copernici quoad substantiam doctrinae permissus est. Altera vero vice crimen, cuius accusatus Galilaeus fuit, et propter quod in iudicium vocatus, illud erat quod contra praeceptum ipsi impositum scripserit, et tanquam certam exhibuerit sententiam suam. Porro hac in re reatus Galilaei verissimus erat, dignusque poena. Praeterea advertendum est quod non immerito Galilaeus suspectus de fide esse poterat iudicibus. Nam et in concubinato

semper vixerat, et commercium epistolare cum haeticis agebat; et praeceptum transgressus fuerat quod in bonum fidei fuerat latum; et vix ac a iudicibus interrogatus fuit an ipse eam doctrinam docuerit, quod quidem ex tot eius operibus evidens erat, ipse non semel, sed bis et tertio pertinaciter negavit. Haec ratio fuit cur ab eo exigeretur sollemne iuramentum quo profiteretur se credere quidquid credit et docet Sancta Romana Ecclesia, et iurando promitteret se nunquam admissurum eam falsam opinionem de immobilitate solis et motu telluris. Ceterum forma decreti, censuraeque doctrinae in se spectatae exhibent communem sententiam tunc temporis, quam auctores decreti sequebantur. Sed cum ipsum decretum sit opus Cardinalium S. Officii, non sit actus Romani Pontificis, qui iussit quidem damnari Galilaeum propter inobedientiam, ipsumque prohiberi ne amplius eam opinionem doceret; sed decreti formam ipse non edidit, quicumque in ea forma iisque censuris sit error, nequit tribui Romano Pontifici loquenti ex cathedra. Dicitur quidem potest quod si Romanus Pontifex ut persona privata scivisset opinionem communem esse falsam vel dubiam, forte iussisset temperari formam decreti; dico forte, quia constat Urbanum VIII prius favisse Galilaeo, et impedivisse ne nota haeresis ea doctrina inureretur; ast aliud est ex privata sententia permittere ut errore aliquo decretum non nomine suo editum maculetur, aliud eundem errorem ex cathedra docere.

#### THESIS XXXIV.

*Frustra quoque sunt, qui ex historia controversiae trium Capitulorum, et damnationis Honorii in Synodo oecumenica VI, atque ex dissensu Episcoporum francorum in quaestione de cultu imaginum, colligere se posse putant fidem Ecclesiae esse quod Romanus Pontifex fallibilis ex se sit, et Conciliorum oecumenicorum auctoritati obnoxius.*

I. Ex Concilio V, atque iis, quae ipsum praecesserunt et subsequuta sunt, argui contra Romani Pontificis infallibilitatem potest vel eo quod Vigilus sententiam suam mutaverit, vel eo quod Concilium sine ipso actum esse et decretum edidisse dicatur, vel eo quod Episcopi quidam Occidentales obedire noluerint sententiae Vigilii et subsequentium Romanorum Pontificum.

Iam vero 1<sup>o</sup> quaestio de tribus capitulis inter ipsos catholicos agebatur, et quaestio erat non de fide, sed de personis, ut ait Gregorius M. L. II. ep. 51. ad Episcopos Istriae. Scilicet conveniebat inter omnes haeticam esse eam doctrinam, quae illis tribus capitulis contineri dicebatur; verum quaestio duplex restabat 1<sup>a</sup> an iis capitulis,

h. e. operibus Theodori Mopsuesteni, scriptis quibusdam Theodoretii, et epistola Ibae illa haetica doctrina reapse contineretur: 2) utrum ea capitula essent sollemni iudicio Ecclesiae damnanda. Quoad primam quaestionem latini graecitatis ignari rem perspectam non habebant (cf. Constitutum Vigilii, et epist. Pelagii II ad Episcopos Istriae). Scientes autem latini auctores a Concilio Chalcedonensi fuisse probatos, negabant opuscula ea haetica esse, sed catholice explicanda esse affirmabant (cf. Facundum Hermianensem in Libris duodecim pro defensione trium capitulorum, quos ante Concilium scripserat). Graeci e contrario affirmabant libros illos haeticos esse, negabantque Synodum Chalcedonensem eos libros probasse aut de iis tulisse irretactabilem sententiam (cf. Edictum Iustiniani adversus tria capitula) quod et latini deinceps agnoverunt (Pelagius II. l. c.). Quoad alteram quaestionem adverti primum potest quod eius solutio a prudentia dependebat. Quamvis enim haetica opera improbanda sint, non exinde tamen consequitur ea speciatim sollemni iudicio Ecclesiae esse semper damnanda; sufficere enim plerumque potest ea generalis condemnatio qua reprobata est doctrina illis contenta, eaque certe sufficit, cum huiusmodi opera non videantur afferre posse detrimentum vel quia contemnuntur ab omnibus, vel quia nota non sunt. Ita actum esse in Conc. Ephesino quoad opera Theodori Mopsuesteni testatur Cyrillus epistola ad Proclum Episc. Constantinop. (Gallandi biblioth. T. IX. p. 696), quae licet reprobata, tamen δι οικονομίας dimissa sunt sine anathemate, « ne scilicet aliqui magnam viri opinionem spectantes, se ab Ecclesiis separarent ». Subditque Cyrillus quod « in his dispensatione uti optimum ac prudens est consilium ». Cum ergo Ecclesiae bonum sit ratio cur sollemni Ecclesiae iudicio proscribantur quaedam opera, fieri potest in certis adiunctis ut ad vitanda scandala et dissensiones cavendas abstinere debeat Ecclesia ab hac sollemni damnatione: quare videndum est quid prudentia consulat. Huiusmodi vero erat quaestio tunc temporis. Latini negabant damnanda esse, quia hac damnatione minueretur auctoritas Concilii Chalcedonensis quod auctores probaverat, et epistolam Ibae orthodoxam agnoverat, nihil autem magis Ecclesiae perniciosum quam detrahere auctoritati illius Synodi, quam Eutychiani adeo acriter impugnabant: quapropter perinde esset damnare ea capitula, ac favere haeticis (cf. Vigilii Constitutum versus finem). Graeci e contrario affirmabant damnatione eorum capitulorum, quae nestorianam doctrinam continebant, firmari et in tuto collocari auctoritatem utriusque Synodi oecumenicae, Ephesinae et Calcedonensis, quae eam haeresim proscrisperant: iis vero non damnatis periculum fidei semper extare; nam iis libris tanquam orthodoxis Nestoriani abutebantur ad suam haeresim disseminandam.